HELLER

Heller

TERTIA SAECVLARIA
IN MEMORIAM FAVSTISSIMI TEMPORIS
QVO
CHRISTIANA DOCTRINA
PER
MARTINVM LVTHERVM
AD PRISCAM ET GENVINAM FORMAM
COEPTA EST REVOCARI

EX AVCTORITATE
AVGVSTISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS
MAXIMILIANI IOSEPHI
PATRIS PATRIAE LONGE INDVLGENTISSIMI

D. III. NOV. MDCCCXVII
RITE CELEBRANDA

INDICIT
ACADEMIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
PRORECTOR
D. THEOPH. ERN. AVGVSTVS MEHMEL
CVM SENATV

DE PIETATIS ET RELIGIONIS SENSV, QVEM POETARVM GRAECORVM INPRIMISQVE PINDARI CARMINA SPIRANT

NONNVLLA PRAEFATVR
D. LVDOVICVS HELLER
LITT. GRAEC. ET LAT. [illegible]

ERLANGAE
TYPIS ADOLPHI ERNESTI IVNGE.

In iis, quibus aetas nostra, bonis dicam an malis, conspicitur, non immerito insignis ille ardor ac singularis illa refertur alacritas, qua quaecumque ad summi numinis cognitionem et cultum aut emendandum aut denuo confirmandum ab aliquo sive populo, seu magistratu, seu privato auctore inventa unquam commendataque sunt, in utramque partem excipiuntur, examinantur, diiudicantur. Neque hoc mirum cuiquam videri arbitror. Quum enim vana illa atque frivola in ponderandis rebus divinis levitate, immo vero temeritate, quae per decem, et quod excurrit, lustra vulgi animos invaserat atque obsederat, depulsa subinde et explosa, priscae pietati honos suus redditus constet; fieri aliter non potest, quam ut divina contemplandi illud disquirendique studium, tamdiu cohibitum alioque deflexum, undique erumpat, neque suis finibus, quantumvis amplis, contineri se patiens, latius exspatietur, et, quidquid ubivis consimile aut congruum deprehenderit, in suam rem utilitatemque convertat, praesentique rerum statui adcommodet. Tum vix tam leve quidquam, tam exiguum reperies, quin aliquid momenti faciat ad ea, quae meditantis animo infixa haereant, dummodo quaedam a tractandi investigandique ratione accesserit gravitas, ita, ut omnibus, quae argumento insunt, rite perpensis, nunquam non ad rem tuam profeceris.

Quod

Quod si forte in ea inciderit cogitatio, quae saepius iam in medium prolata sint atque excussa, cave, statim abiicienda et prorsus desperanda putes: quippe quum perraro tam tritum quidquam et decantatum exstet, unde non, animadversis potissimum iis, quae ab hoc tempore non abhorreant, elici possit, quod, a nemine antea observatum, neque lectu indignum sit, neque auditu. Vere etiam dici potest, eandem rem a diversis scriptoribus non nisi diverse ut percipi, sic doceri posse. Πολλὰ γὰρ πολλᾷ λέλεκται.

De pietatis quidem et religionis sensu, quo veteres Graeci et Romani imbuti fuerint, pro temporum hominumque diversitate diversissimis inter se modis semper iudicatum esse satis constat. Quamquam enim et ecclesiastici patres, quidquid in paganis, quos vocant, probandum esset, ingenue saepe probaverant, et ipsi utriusque foederis sacri scriptores eos tamquam exempla proposuerant, quae iudaeis christianisque hominibus non possent non pudorem incutere, nihilo minus tamen prioribus saeculis omnem in rebus divinis pioque deorum cultu laudem vulgo illis denegatam fuisse, commemoratione vix eget, quippe quorum, tamquam falsis numinibus addictorum, ipsae praestantissimae virtutes odioso splendidorum vitiorum nomine contaminarentur. At contra hoc tempore versatur ob oculos haud exigua eorum turba, qui coeco Graecorum Romanorumque amore abrepti eo usque proruerunt, ut sublato prorsus omni religionum discrimine vel absurdissima illiberalissima-

que

que mythorum rituumque genera ad astra tollerent, sublimiorem videlicet aliquem iis sensum ubivis studiose obtrudentes, quem neque sacrorum olim ministros perhibuisse, neque, qui prae ceteris sapientes habebantur, innuisse, multo minus vulgus hominum suspicando adsecutum esse, facile patet: quamvis antiquitus tale quiddam subfuisse haud negaverim. Hos quidem, si penes ipsos esset, totum faunorum et nympharum gregem una cum orgiis atque thiasis nobis reddituros fuisse, ipsa eorum scripta satis luculenter arguunt. Quid? quod fuere, qui turpissima adeo flagitia, quibus illa aetas polluebatur, callidis verborum artificiis extenuare, ne dicam excusare, minime dubitarent, importunae eruditionis copiam temere profundentes, ne scilicet antiquitatis istud perfectissimum εἴδωλον, quod eorum animis penitus inhaerebat, aut deficeret, aut plane evanesceret. Verum perversa hac ratione tantum abest, ut veterum existimationi ullo modo prospiciatur, ut etiam periculum sit, ne ab immodica atque vana illa laudandi colorandique cupidine plus detrimenti redundet. Solent enim permulti odium hominum in res ipsas transferre, et a defensorum praeconumque sinisteritate ad ipsius causae pravitatem coniecturam facere. Unde accidit, ut recentior quoque aetas, immo vero novissima, complures tulerit alatque, qui, falsa religionis specie decepti, quidquid graeca pariter ac romana antiquitas veri pulchrique habet, acriter infestarent, et in contrarium aberrantes, bonis litteris denuo bellum inferrent. Quapropter nos quidem, omissa male sobria illa eruditione, καιρὸν φθεγγόμενοι in

eo,

eo, quod res est, adquiescamus, minimeque speremus, in rebus humanis reperiri posse, quod omnibus numeris sit absolutum. Neque vero, quae a nostris opinionibus, nostrisque sensibus et moribus, ut tanto temporum intervallo disiuncta, mirum quantum abhorrent, temere contemnamus, sed, quae laudari merentur, sine ira et studio laudantes eam potissimum virtutem strenue exerceamus, in qua et omnis veterum sapientiae, et eius, quam nos profitemur, doctrinae summus cardo vertitur, iustitiam dico.

Quicumque generis humani historiam perscrutans, suum ipsius animum diligentius perspexerit, eum neutiquam fugere posse opinor, quanti sit illud, quod iisdem virtutibus et vitiis, iisdem bonis malisve, quibus nos aut ornatos, aut gravatos sentimus, et alias aetates gentesque aut viguisse, aut laborasse, ubique luculenter adparet. Ita enim fert hominum natura atque indoles, ut comparantes aliena de suis rectius statuant, neque nimium extollentes ea, neque ultra, quam par est, deprimentes despicientesque. Quae quidem in diiudicando modestia quum a superba nostri aevi admiratione haud secus, quam ab ignava querendi lamentandique libidine nos avocet, simul efficit hoc, ut, quaecumque usquam vel bonorum incitamenta vel malorum remedia et necessitas suaserit, et ingenium excogitaverit, in his omnibus studiose dispiciamus, num forte et nostrorum temporum ratio tale quiddam ferre possit. Atque, ut multis in aliis rebus, sic in hac quoque egregiam esse magistram antiquitatem, omni prorsus caret du-

bita-

bitatione. Ut igitur eo revertamur, unde profecti sumus, permultum juvabit, diligenter considerare, quomodo et veterum animi inter duos quasi scopulos adversos fluctuaverint, superstitione hinc prava, hinc impio deorum contemtu abripiente incautos et obruente. Quamquam enim haec pestis serioribus potissimum, et extrema morum, quae omnem summi numinis veram reverentiam plane respuit, perversitate infamibus saeculis apud Romanos praecipue grassabatur, non tamen nec antiquiori aevo, nec apud Graecos omnino defuere, qui partem vulgaris de diis eorumque cultu doctrinae pertaesi, istiusque sapientiae, quae Horatio *insaniens*, Pindaro ἐχθρὰ dicitur, consulti, argutiarum et subtilitatum velut gurgiti se immergerent, partim ea, quae ceteris sacrosancta essent, negligendo et contemnendo supra ignobile vulgus elatos se stulte opinarentur, partim denique molestum supremae legis et interioris iudicis arbitrium declinare cupientes, deum esse, vel disertis verbis negarent, vel saltem re et facto dissimularent. Adversus quos sinceri numinum cultores omni tempore coorti id enixe studuere, ut, quantum in ipsis esset, priscam pietatem sermone litterisque commendarent, publicam sacrorum custodiam, quae ad magistratus pertinebat, privata opera ultro iuvantes.

Atque hoc poetarum inprimis fuisse videmus, qui divino quodam adflati spiritu, et phantasiae velut alis elati, coelestia facilius attingerent, ibique prorsus domicilium ponerent. Horum igitur prae ceteris munus partesque fuere,

de

de diis eorumque cultu ita loqui, ut verbis, sententiis et imaginibus bonos confirmarent, impiis terrorem iniicerent. Sed quum non omnium poeseos generum eadem sit natura et conditio, non omnes eodem modo hanc materiam tractasse, haud facile quisquam mirabitur. Permultum enim refert, utrum poeta, quaecumque de re aliqua in utramque partem profert, e sua, an ex aliorum persona dicat. Sic non dramatici solum, verum et epici nonnunquam poetae inducunt, qui de gravissimis rebus, longe aliter, ac fas est, sentiant disserantque, quippe aut pravis cupidinibus obnoxii, aut adfectuum impetu praepediti, quo minus, quid verum ac justum sit, dignoscere possint. Quapropter Homerum saepe acerbius perstrinxisse mihi videntur, qui non satis adcurate dispexerint, num in iis locis, ubi de diis agitur, heroum moribus aliquid dandum censuerit poeta, an suo ipsius ingenio indulserit. Quamquam etiam hac in re profecto est modus suntque certi fines, quos ultra citraque verum rectumque consistere nequeat. Fortasse et illud distinguendum est, utrum, ut hoc utar, de Jove, tanquam summo omnium rerum gubernatore, an de eodem, tanquam mortalium rebus immixto, eorumque favorem et gaudia ambiente, sermo sit. Verum etiam de his honestius et verecundius agi posse, optime demonstrari potest exemplo eius poetae, qui lyricorum (quod poeseos genus vel per se sublimitatem et dignitatem in rebus et verbis facillime tueri potest) longe princeps omnium consensu semper iudicatus est, Pindarum dico. Quem si deorum, et inprimis Jovis summam potentiam et majestatem, et rursus humanarum

rerum

rerum fluxam, atque fragilem conditionem praedicare audias, paulum abest, quin vel christianum hominem, vel certe psalmorum auctorem, te audire credas. Immo hoc ipsum, quod a vulgari aetatis suae superstitione haud immunis fuit, adeo non in vitium verti potest, ut etiam maxima laus sit, in tam manca et corrupta summi numinis cognitione, qua illi homines misere laborabant, ad tantam sublimitatem eum exsurgere potuisse. Et quamvis eximiae huiusce pietatis, quam illius saeculi homines utique studiosius, quam postea factum est, colere solebant, etiam apud ceteros Graecorum poëtas, multa deprehenduntur vestigia, et inprimis tragici generis duos coryphaeos, Aeschylum et Sophoclem, Horatianae illius legis, ut chorus precibus deos placare studeat, auctores exstitisse certum est; horum tamen neuter illam tanto amplexus est fervore, quam Dircaeus cygnus, quem idcirco a Platone θεῖον adpellatum scimus, quae honorifica adpellatio non nisi in eum cadere potest, cui aliquid vere divini seu cognationis divinae insit. Tantum enim abest, ut de nobiliori quodam ingenii lusu cogitemus, ut, contemplantes, quomodo eius cogitata atque sensa, fere omnia a rebus divinis proficiscantur, eo redeant, inde colorem et quasi vestem mutuentur, inde tanquam ex sacrae flammae igniculis calorem et vitam imbibant, quin ex intimis animi recessibus ea petita sint, dubitare nullo modo possimus. Nec est, quod impediat, quo minus *του σοφωτάτου* adpellationem hoc praesertim nomine illi tributam existimemus, quum omnis illius aetatis sapientiam a deorum cultu (neque id perperam) progres-

 sam

sam esse constet. Quid? quod et *την μεγαλοφωνίαν* eius, quam praedicant, ad illam pietatem pertinuisse haud repugnaverim. Qui enim fieri potest, ut is, qui mentem in coelo habet, ad ieiunam unquam in verbis sententiisque humilitatem descendat?

Quum autem tria potissimum sint, ex quibus illustris ille pietatis et religionis sensus perspiciatur, primum augustam deorum, et praecipue Jovis eam, quam animo suo propositam ubique adumbravit Pindarus, imaginem adcuratius contemplemur: deinde, quid de humana natura, deorum arbitrio obnoxia, et de his, quae ex deorum voluntate vel cavenda vel facienda sint, statuat, uberius persequamur: denique qualem erga deos usquequaque et se praebuerit, et heroes suos esse voluerit, dispiciamus, ita quidem, ut, collectis in unum, quae in carminibus eius ad rem nostram facere videntur, potiores deinde locos quosdam separatim consideremus, mythorum eorumque originis et familiae nullam rationem habentes, nisi quatenus praeclarum poëtae studium cuncta in deorum commodum atque honorem convertendi in illis vel interpretandis vel immutandis adpareat *). Quin etiam philosophorum, quos Pindarum

*) Mythologiae Pindaricae Specimen, quod prodiit Erlangae 1790, inchoatum reliquit *I. C. F. Goetschel.* Ad ea, in quibus haec opera nostra versatur, conferri possunt: *Schneider: Versuch über Pindars Leben und Schriften. Jakobs: in den Nachträgen zu Sulzers Theorie Bd.* 1. *St.* 1. *p.* 49. *Herder: Pindar ein Bote der Götter.* Opp. p. 327.

darum secutum esse perhibent, placita copiosius illustrare, alienum ab hoc nostro proposito videtur.

Quaecumque igitur magna et excelsa de diis praedicari possunt, ea qualibet oblata opportunitate ita profert vates, ut summum animi ardorem in reverendis iis non possis non agnoscere. Gaudent suprema potentia, quae nullo negotio praeter opinionem ad finem perducat opus, et eiusmodi, ut fieri nequire iurasses, O. XIII, 116—118, quo quidem pervicacissimi deorum obtrectatores obmutescere cogantur. Ipsi vero poëtae, ab omni dubitandi pruritu alieno, nihil prorsus mirabile, nihil incredibile videtur, perficientibus diis. P. X. 76—78. Perficit enim ex sententia sua deus omnia, quae vult, P. II. 89. 90. idque nulla interposita mora, ut et *hodie* quemque mortalium ad summum felicitatis fastigium extollere possit. P. XII. 51-53. Celeriter enim agit deus, si quid urget, et brevissima incedit via, P. IX. 121, quippe qui alatam adsequatur aquilam, marinumque delphinem antevertat. P. II. 91—94. Inprimis autem Iupiter, in quo cuncta divina quasi coalescunt, supremus omnium rerum dominus est atque magister, qui aliis alia impertitur, J. V. 66. 67, qui quidem solo caesariei nutu Siciliae imperium Proserpinae adsignaverit, N. I. 16—22: ut adeo summo iure prae ceteris numinibus coli eum a Pelide iusserit Chiron. P. VI. 19—25.

His addenda censeo, quae de certa omnium rerum scientia occurrunt, qua praeditos deos cum reliquis eorum cultoribus

ribus Pindarus existimavit. Si quis enim sperat, fore, ut aliquid facturus deos lateat, fallitur. O. I. 102. Inprimis oraculorum firma auctoritas ubivis docetur, non sine vehementiori studio. Vox enim deorum est ψευδέων ἄγνωστος, O. VI. 113, et nominatim Neptuni ἀρτιεπής, v. 105. Inprimis Apollo hoc nomine celebratur, P. III. 47—54, et IX. 79—87: (quos magnificos et prae ceteris splendidos locos huc transscribendos putarem, nisi Pindarum in omnium, qui graecis litteris favent, manibus fore, nunc denique sperare liceret) ideoque σοφὸς audit. v. 88.

Nec minus egregia dixeris, quae de deorum erga mortales benignitate clementiaque, ac de provida, quam rebus eorum tribuunt, cura noster saepius profert. Sunt enim placidi, neque confestim, si quid incuria neglectum aut admissum fuerit, ira exaestuant, sed ignoscere sciunt, ut ex Iovis Palladisque exemplo colligi potest, qui, licet Solis filii id, quod in sacris faciendis omnium maxime opus erat, ignem puta, secum ferre obliti essent, nihilo minus et ipsos, et progeniem, Rhodios, quum divitiis, tum artium scientia auxerunt. O. VII. 82—94. Deinde per deos multae dantur felicitatis viae, O. VIII. 17. 18, qui omnis generis bona hominibus praebent, v. c. divitias, P. III. 19, laudem et gloriam, O. X. 23—25. Quamcunque mortales spem animis alunt, eam illi ad exitum perducunt. O. XIII. 147. 48. Prosperos dant successus, tanquam ὀρθωτῆρες. P. I. 109. Felicitas ab illis profecta diutius durat. N. VIII. 28. 29. Omnino hominum res diligenter curant. O. I. 171-73.

Prae-

Praecipue penes Iovem omnis eorum, quae aguntur, eventus est, N. X. 54. 55, qui alia ex aliis bona conferre potest. O. VIII. 110. 111. Qua in re adiutorem habet Mercurium. O. VI. 137—139. Est igitur σωτὴρ, O. V, 39. ut qui etiam calamitatibus modum finemque possit imponere, quod in Cadmo et Peleo ostendit. P. III. 168—170. Pari modo dirae servitutis iugum, quod Graecorum cervicibus a Persis Tantalei saxi instar imminebat, deus repulit J. VIII. 19—22.

Verum et ingenii animique dotes ad deorum benignitatem referendae sunt. Bonos sapientesque viros divino munere exsistere, discimus. O. IX. 41—43. His accedunt fortes et facundi, quia virtutibus humanis vis sua et efficacia non nisi a diis obtingit, P. I. 79—82, qui eas iuvant. N. I. 11. 12. Sunt enim divinae originis (θεόδματοι), J. VI. 15, et praecipue ad Iovem referuntur. J. III. 6. 7. Pariter et laus praeclaris facinoribns parta. O. X. 23—25. J. VI. 14. Inprimis poëtae ingenium suum artemque numinibus debent; nam carmina sunt θεύμορα. O. III. 18., et divinitus sapienti quisque floret pectore. O. XI. 10. Σοφὸν enim ibi, ut saepius, poëtam dici, orationis nexus docet. Patent etiam multae viae seu rationes carminum deorum beneficio poëtis, J. IV. 1. 2: quamvis hic locus et alio modo intelligi possit. Contra misera eorum, qui tam obtusae mentis sunt, ut Pieridum cantum perhorrescant, sors et conditio inde orta perhibetur, quod Iupiter eos oderit. P. I. 25—27. Itaque quibus deus non adrisit, ea merito silen-

silentur. O. IX. 156—158. Sic et qui laboranti reipublicae mederi velit, Apollinis, tamquam medicorum principis ope indiget, P. IV. 480. 481, quia concutere civitatem vel imbecilliores valeant; concussam stabilire, nisi deus adsit, nemo possit. v. 484—489. Verum non ingenii solum, sed etiam animi morumque probitas deorum est donum. Postquam enim perniciosorum adulatorum nequitiam cum indignatione perhorruit poëta, precibus adit Iovem, ne in tam foedum incidere se vitium patiatur, sed ut simplicem eumque rectum se ducat tramitem. N. VIII. 59—61. Porro, quum P. II. 175. 176. deos rogat, ut bonis probato sibi cum his vivere contingat, hoc, quin ad morum spectet similitudinem, dubium non est. Nec temperare mihi possum, quin illam *αἰδῶ*, quam O. XIII. 165. Oligaethidis a Iove exorare studet, cum Gurlitto de ea moderatione intelligi velim, quae *ὕβρει* opposita, summam virtutis Pindaricae constituit. A scelere immunes deorum ope praestari homines, ubique haud obscure praecipitur: nec Pindarus tales deos novit, quibus proprium et peculiare sit, mortales sceleribus irretire, *ἄτην* puta et *ἀλάστορα*. Neque omnino, ut *Goetschelius* bene observavit, mala ad deos auctores ille refert, sed fato et necessitati tribuenda existimat, quibus deos, si non obnoxios, at certe parentes eum statuere, idem recte vidit. Attamen iustos quoque deos ultoresque malorum a poëta exhiberi, suo loco videbimus. In praesenti haec sufficiant: cetera persequendi brevi tempore opportunitas offeretur.

Sed

Sed ut nullam omnino aetatem incitamentis pietatis et adiumentis plane caruisse historia satis superque docet, ita nostram inprimis hoc nomine insignem illustremque esse, omnes fateantur, necesse est. Dum enim recenti adhuc memoria vigent, quae proximis annis singulari divinae providentiae munere praeter omnium spem opinionemque evenere; iam redeunt tertia faustissimi illius temporis saecularia, quo christiana doctrina ad priscam purioremque rationem coepta est revocari. Quae quidem salutaris opinionum conversio quum non ab armorum impetu ac terrore, sed ab ingenii animique vi non sine valido litterarum auxilio profecta sit, sub Augustissimi et Potentissimi Regis nostri auspiciis iure meritoque decretum est, ut, postquam per triduum supplicationes orationesque in templis scholisque habitae fuerint, universitas nostra quarto die et salutaris illius conversionis, et eius Viri, quem Deus T. O. M. praecipuum auctorem esse voluit, immortalis Lutheri, memoriam rite celebret. Solemni igitur Professorum, Doctorum privatorum, Gymnasii Collegarum et Commilitonum nostrorum, pompa ab academica curia circa aedem nostram in auditorium publicum, hunc in finem studiosius exornatum, ducta, actuum interiectis concentibus musicis h. X. instituendorum hic erit ordo:

1) D. Lud. Heller, *Litt. Graec. et Latin. P. P. O.*, oratione sua laudes Lutheri celebrabit;

2) D.

2) D. Gottl. Phil. Christ. Kaiser, *Theol. P. P. O.*, habita oratione viros, quos S. V. Theologorum ordo supremis in Theologia honoribus dignos censuerit, doctores publice renunciabit;

3) D. Pavl. Ioach. Sig. Vogel, *Theol, P. P. O. et Prim.*, teutonica oratione votorum nostrorum interpres erit.

Ad haec solemnia instruite et parate mentes, *Commilitones carissimi*, ut ea, qua decet, pietate frequentes adsitis. Hoc idem ut faciant *Civitatis nostrae Proceres* omni, qua par est, observantia colendi, nec non *Cives Hospitesque omnium ordinum honoratissimi*, enixe rogamus.

Erlangae d. xxx. Oct. MDCCCXVII.

(L. S.)

2) D. Gottl. Phil. Christ. Kaiser, *Theol. P. P. O.*, habita oratione viros, quos S. V. Theologorum ordo supremis in Theologia honoribus dignos censuerit, doctores publice renunciabit;

3) D. Pavl. Ioach. Sig. Vogel, *Theol, P. P. O. et Prim.*, teutonica oratione votorum nostrorum interpres erit.

Ad haec solemnia instruite et parate mentes, *Commilitones carissimi*, ut ea, qua decet, pietate frequentes adsitis. Hoc idem ut faciant *Civitatis nostrae Proceres* omni, qua par est, observantia colendi, nec non *Cives Hospitesque omnium ordinum honoratissimi*, enixe rogamus.

Erlangae d. xxx. Oct. MDCCCXVII.

(L. S.)